

rans, &c. A Luna autem Virtutem Gelufacientem profluere variis ex causis credendum est.

Virtutes Planetarum sunt Telluri Influentia.

Sunt sine dubio multæ aliæ, & quæ quoque à Planetis ad hanc Tellurem, secundum diversum eorum situm derivantur, quas Astrologi *Influentias* vocant, si saltem certam earum cognitionem haberemus.

Agunt in distans.

Harum Virtutum natura simul est, agere in distans; Unde Virtutes homogeneæ appropinquantibus corporibus se conjungunt, simulque sese invicem percipiunt, sentiunt, &c. sed si in corpus inhabile seu recipiendæ tali virtuti ineptum, incidant, terminantur in isto ac reflectuntur; ita quantò res lævigatior ac politior est, tantò plures ac fortiores fiunt repercussiones, donec virtute debilitatâ tandem cessent, de quibus deinde pluribus.

Virtutes naturam reflectendi habent.

Quò plus corpus aliquod habet materiæ, id est, quò solidius est, eò plus virtutis potest recipere.

Quodlibet corpus autem non est idoneum vel aptum ad recipiendam quamlibet virtutem, sed prout virtus qualificata est, ejusmodi quoque occupat habitaculum seu possidet materiam, cum quoad ingrediendum, tum quoad effluendum: interim autem sunt quædam virtutes incorporeæ, ad omnia corpora ingrediendum idoneæ.

Hæ Virtutes, excitari quoque possunt per Attritum, Collisionem, Tactum, Vibrationem, &c. ejus corporis, quod est habile ad edendam vel recipiendam hanc vel illam virtutem; nam, quia talis virtus intra orbem virtutis Telluris hujus est, ideoque excitari potest per tactum corporis habilis, sicut experimenta docent *cap. 15.*

Virtutes per Attritum quomodo excitantur.

CAPUT II.

De Virtute Incorporea Telluris, quæ dicitur Impulsiva.

Quid sit Virtus Impulsiva.

Virtus *Impulsiva* est virtus Incorporea, quæ in Tellure est, & proinde excitari potest in quolibet corpore indissolubili, firmo seu duro, aut per violentum Lationis motum, ut & Circumlationis: aut per Vibrationem, aut jactum, vel per vehementem ductum (hoc est, quando corpus aliquod, aut violenter projicitur seu in volatum datur, vel quoque vehementer circumgyratur, trahitur, impellitur, &c.) tunc illi imprimitur talis virtus Mundana, per quam res fertur per inane Spatium (sive, in hâc aërea regione, per aërem) de loco ad locum; & quantò magis impellitur, tantò majoris virtutis proindeque velocitatis fit capax, & tantò longior durat latio, paribus tamen cæteris.

Virtus impulsiva non diu durat, nisi impetus continuetur.

Virtus *Impulsiva* corpori impressa, cessante causa, evanescit, ideoque, etiamsi nec aër nec aliud impediens sit, non semper permanet, sed per tempus durat, donec paulatim illa virtus impressa, exspiret, seu impetus ille conceptus, languescat, *Exempli*

gratia, Lapidi, qui sursum projicitur, à manu projicientis virtus aliqua, quam hoc loco *Impulsivam* vocamus, imprimitur, quæ lapidem sursum impellit, usque dum hæc virtus evanescit: deinde quidem per aliam virtutem scilicet *Conservativam* (de quâ seq. *cap. 5.*) lapis agitur deorsum; quo casu ille, per accelerationem motus Lationis, simul de novo hanc virtutem *Impulsivam* acquirit, eum magis magisque ad terram impellentem: & quando super simile corpus durum & quidem satis majus cadit, tunc reflectit hæc virtus in contrariam partem, ut nempe lapis resultet, & quidem, non unâ vice, sed multis vicibus, uti videmus in globulis marmoreis, quibus pueri ludunt, quando ejusmodi globulum cadere sinunt, *ex. gr.* in tabulam marmoream, resultat globulus non semel sed decies & ultra: idque est, quod priori capite diximus: omnes has virtutes habere naturam *Reflectendi*.

Virtutes naturam reflectendi habent.

Durante causa *Impulsivâ*, durat quoque effectus; unde quodlibet corpus

pus